Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26117
Copyright: Admont, Benediktinerstift

dicunt. Quod et uerum prophete erant. qui in anteriori parte domus.
scilicet in synagoga. que erat umbra domus ecclesie. mandata dei
ipsos nuntiabant. Cancelli quoque sunt loca in choro. in quibus
psallentes sunt ordinati. et innuunt omnes qui sunt in diuersis gradibus
constituti. Sponsus ergo per fenestras sponsam respexit. dum Christus per
apostolos lumen cognitionis sue ecclesie infudit. Per cancellos hanc
prospexit. dum prophetas et reliquos doctores ei radios sue noticie in
misit. Per fenestram prospiciens. partim uidetur partim non uidetur.
sic Christus in carne manens. partim uisus est deus in miraculis. par
tim non est uisus in infirmitate passionis. Et quia post parietem stetit.
sponse coniungi non potuit. et ideo per fenestram oscula et uerba dedit.
quia quamdiu mortalitas imposita fuit ecclesie coniungi perfecte non
potuit. tantum oscula doctrine per fenestram corporis prebuit. Des
tructo pariete sponse copulabitur. quia ablata mortalitate
hystoria. ecclesie ut est manifestabitur. Que dicit. Dilectus meus quem diligo pre
omnibus. qui saliendo ad me uenit. et stans murum impegit. ipse
per fenestras et cancellos respiciens me excitat. et loquitur mihi dicens.
Surge propera amica mea. Hoc est. Qui secundum scripturas in mundum
uenit. et mortem nostram destruxit. ipse mihi per prophetas et apostolos
precepit. ut hoc aliis predicem dicens. O primitiua ecclesia que diu ces
sasti a predicatione. surge a quiete tua. id est prepara te ad laborem
ad predicationem gentibus. propera quia tempus breue est. et si hoc fe
ceris eris amica mea. faciens mihi amicos per fidem. qui sunt inimici
per infidelitatem. et eris columba mea. septiformi spiritu illustra
ta. ut columba septem naturis decorata faciens simplices.